

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1719

Prologus Authoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](#)



PROLOGUS AUTHORIS.

Rodit in lucem publicam, bénigne Lector, tomus iste sacræ Septimanæ, qui est tertius, & ultimus in Quadragesimali, in quo bona mea erga te voluntas offert varios sermones de diversis passibus Dominicæ Passionis, præter alios, quos videre ipsem poteris; eo fine, ut adjumento tibi esse valcant ad formandas conciones pomeridianas in Quadragesima. Sin vero hic desideras sermones de solitudine sacratissimæ Matris DEI MARIE, scito, quod non diu tibi expectandum; sed propediem volente DEO imprimentur cum alijs de ejusdem divinissimæ Virginis doloribus, & angustijs in Mariali. Nam cum benignitatem tuam observaverim, qua priores tomos exceperisti, eidem respondere porro statui, neque paginam ullam, quæ elaborata est, subtraham, sed bonitati hæc omnia offeram. Equidem optâssesi, ut priores hic edendæ essent vespertinæ, seu pomeridianæ conciones, atque illis, quæ in præcipuo meo Excitatore, parte nimirum prima, & secunda continentur, admodum geminæ, ac sorores quasi; sed diversorum hominum summè mihi suspiciendorum obstitit postulatio: qui panegyres primum locum obtainere voluerunt. Quas proin panegyres ita prodire volui, ut in illis fraternitas quædam esset & indivisa semper unio laudis, & doctrinæ. Neque omitto videndam tibi exhibere particalam aliquam litterarum, quas eam in rem ad me dedit Reverendissimus Pater Magister Didacus Franciscus Altamiranus Societatis Jesu olim in Provincia Peraguaiensi Provincialis, & Provinciarum Indiae Procurator Generalis; scripsit autem, ut me animaret sequentem in modum: *Postquam Excitatem Christianum ea, quam mea tenuitas assequi potuit, existimatione, & admiratione perlegi, dubitare non potui, Quadragesimale eidem simile fore; quoniam melius esse posse sperare non ausim. Quamobrem ab aliquot jam diebus animum meum vehementer desiderio extimulari sentio videndi etiam sermones panegyricos de Sanctis, & in festa, qui animabus proficiui forent: animadverto enim communem fere apud omnes invaluisse errorem, quasi panegyres fructuosa esse non possint; atque exinde, ut opinor, floridus dicendi modus etiam in reliquos sermones se diffudit. Enimvero multi indubitatum tenent, ingenium stare non posse cum doctrina, & sermonis profunditatem futilibus quibusdam Sanctorum en-*

comis

PROLOGUS AUTHORIS.

comis debere ad ornari in morem declamationis cuiusdam Scenice: Sed neque virtutes sublimiori ingenio posse explanari: imo nec sanctos Cœlites dilaudari posse autumant, si quis auditores suos ad eorum imitationem inducere conetur; quasi vero non summa Oratoris capacitas, & habilitas in hoc ipso consisteret, ut etiam obstinissimum quemque auditorum suorum in partes suas trahat, atque à perverissima sua voluntate recedere cogat etiam illos, qui malum ultimâ pertinaciâ amplectuntur. Huic malo nullum ego in hoc saculo efficacius remedium invenio, quam si Dominatio vestra animum inducat ad edendos quosdam sermones de festis, & sanctis Cœlitibus. Ita enim fiet, ut quemadmodum mundo jam persuasit modum concionandi in missionibus, & tempore penitentia, etiam, uti certum mihi est, celeberrimi quique Oratores addiscant panegyres suas ad fructum dirigere. Et hoc meum desiderium exponere volui viro, de quo certus sum, quod illud non omnino sit reprobaturus; maximè cùm zelo animarum, & gloria Domini nostri tam consonum sit. Atque idem Dominus noster Dominationem vestram servet in colum cum omni cumulo, & optimo quo vis incremento. Madriti 4. Septembris. An. 1686.

Qua de causa quantocuyus imprimi faciam tomum aliquem de sanctissimo Eucharistia Sacramento, ea mente, ut consilium tam salubre non negligam. Quarant alij quod delectet (doceor ab Ennodio) ego res ad animam pertinentes expostulo. Te vero rogatum volo, precibus tuis me adjuves bone lector, ut, quod intendo, consequar. Confido autem, eas à charitate tua mihi non negatum iri. Nam, uti sanctus Leo loquitur, quantumcunque excreverit meus profectus, etiam tuæ utilitati accedet, dum ita opera mea minus imperfecta prodibunt. Orationibus vestris, inquit S. Leo, non ambigimus adjuvari: ad commune enim pertinet lucrum, si potueritis me habere devotum: quia vestra impenditur adificationi, quidquid nostra tribuitur facultati. Quin & in fine vitæ hanc fiduciam non dimittere me docet, & admonet Venerabilis Kempensis, certumque esse jubet eos, qui libros meos legere dignati fuerint, DEO, ac Domino nostro me commendaturos esse. Cùm mortuus fueris, non desperabis: pro te, qui legerint volumina tua. Valc.

Ennod. lib.
1. epist. 3.

Leo serm.
2. de pas-
sion.

Kemp.
Opusc. 22.
cap. 4.

INTER-

d,